

SCRIPTA

Numéro Scripta : 7232

Autre(s) référence(s) : Round 834

Auteur(s) : Henri II Plantagenêt, Angleterre (roi)

Bénéficiaire(s) : Savigny-le-Vieux, Sainte-Trinité de Savigny (abbaye)

Genre d'acte : charte

Authenticité : non suspect

Datation : 1180

Lieu d'émission : Valognes

Action juridique : confirmation

Langue du texte : latin

Analyse

Confirmation de l'accord conclu entre l'abbaye de Savigni et Geoffroi de Montfort au sujet des églises de Quettreville et de Gouville.

Tableau de la tradition

Éditions principales

a. Berger Élie, Delisle Léopold, *Recueil des actes de Henri II, roi d'Angleterre et duc de Normandie concernant les provinces françaises et les affaires de France*, Paris, Imprimerie Nationale (Chartes et diplômes relatifs à l'histoire de France), 1916-1927, 3 vol., n° DLI, t. 2, p. 130-131.

Indications

Round John-Horace, *Calendar of Documents Preserved in France, Illustrative of the History of Great Britain and Ireland*, 918-1206, Londres, Her Majesty's Stationary Office, 1899, n° 834.

Dissertation critique

Sur la datation de cet acte, voir DELISLE/BERGER, *Recueil des actes de Henri II*, t. 2, p. 130.

Texte établi d'après a

H., Dei gratia rex Anglorum, et dux Normannorum et Aquitanorum, et comes Andegavorum, archiepiscopis, episcopis, abbatibus, comitibus, baronibus, justiciis, vicecomitibus, et omnibus ministris et fidelibus suis, salutem. Sciatis me ad petitionem conventus de Savingni et abbatis ejusdem loci et Gaufridi de Mumfort, salvo jure Constanciensis ecclesie, concessisse et presenti carta mea confirmasse conventionem que facta est inter ipsum abbatem et monachos de Savingni et predictum Gaufridum de ecclesiis de Ketivilla et de Goevilla, de quibus controversia erat inter eos coram justiciis meis, scilicet quod abbas et conventus presentationem ecclesie de Goevilla in perpetuum possidebunt, Gaufridus vero et heredes sui presentationem ecclesie de Ketevilla in perpetuum habebunt. In utraque autem parochia predictarum ecclesiarum percipient ipsi monachi unam medietatem omnium decimarum, frugum scilicet, leguminum, lini, cannabi, animalium, fructuum et lanarum. In partem siquidem predicti Gaufridi et heredum suorum cedet altera medietas, salvis tamen in decima de Goevilla XX. quartariis ordeï Exaquensis monasterii, qui de communi annuatim reddentur. Persone etiam et vicarii utriusque

ecclesie coram episcopo aut clero Constanciensi juramento firmabunt se tam ipsis monachis quam prenominate Gaufrido et heredibus suis jus suum in his omnibus fideliter observaturos. Decimatores etiam tam monachorum quam Gaufridi et heredum suorum affidabunt quod jamdictas decimas fideliter congregabunt in loco quodam ex assensu utriusque partis assignato, ibique in duas equas partes predictae decime dividantur, earumque medietatem unam monachi, et Gaufridus ejusque heredes alteram quo voluerint deportabunt. Si autem ipse Gaufridus aut heredes sui divina inspirante gratia jus suum ecclesie de Ketilvilla et predictarum decimarum utriusque parochie alicui ecclesie aut alicui religioni dare voluerint, illud dabunt monasterio de Savingni, et nulli alii. Prior vero de Savingni et plures ejusdem loci fratres in verbo veritatis promiserunt se pactum hoc fideliter servaturos et a suis firmiter servari facturos. Gaufridus similiter assensu Gervasie uxoris sue et liberorum suorum, Radulfi scilicet et Willelmi, Rollandi, Eudonis, Matildis et Amicie, in manu Petri Redonensis archidiaconi affidavit se hanc compositionem fideliter servaturum et a suis firmiter servari facturum. Preterea si ipsi monachi aut Gaufridus vel aliquis heredum suorum cartas inde vel privilegia aut alia instrumenta habuerint, huic compositioni non obstant. Persona siquidem vel vicarius monachorum de ecclesia de Goevilla jura episcopalia de ipsa ecclesia reddet ; persona vero Gaufridi et heredum suorum jura episcopalia de ecclesia de Ketilvilla persolvat. Quare volo et firmiter precipio quod prescripta compositio stabilis et rata permaneat, sicut inter prenominate abbatem et monachos et Gaufridum facta est, et firmiter et inconcusse teneatur, sicut carte illorum testantur.

Testibus : Hunfredo de Bohuno constabulario, Hugone de Creissi, Roberto de Stuttevilla, Gilberto Pipardo, Roberto de Briwecurt, Gerardo de Camvilla, Thoma de Hastings, Ricardo de Camvilla, Osberto de Hosa, Hamone Pincerna. Apud Valoignias.